



CORNELII NEPOTIS

FRAGMENTA 1,

Quæ reperiri potuerunt,

ANDREÆ SCHOTTI 2

studio collecta 3.

Chronicorum Lib. I.

1 **V**ixit Homerus 4 ante Romam conditam annis circiter C. & LX. *Gellius XVI, 21.*

2 Roma condita 5 Olympiadis septimæ anno secundo 6. *Solin c. 2.*

3 Archilochus Tullo Hostilio 7 Romæ re- gnante

1 Hoc est, particula & reliquæ ex libris injuria tempo- rum deperditis. 2 Vir ille doctissimus, Romæ aliquandiu Oratoriam professus, in patria sua Antverpiæ magnam in C. Nepotem & alios bonos autores impendit industriam. 3 Imo & interpolata subinde, ubi necesse fuit, vel de suo aliquid adjicere, vel ex iis, quæ apud Auctores citatos inveniuntur, aliquid supplere; ne quis genuina semper ipsius Nepotis ver- ba retenta existimet. 4 Poëta Græcus Iliados & Odyssæ carminibus celeberrimus. Gellius autem, noctium Attica- rum scriptor, hujus primi fragmenti autor est. 5 A Romulo & Remo, uti notum est ex Livio, Floro, Aur. Victore & a- liis. 6 Per Olympiades, quarum singulæ quatuor annos continent. Græci tempora numerare cœperunt A.M. 3196. Solinus in Polyhistore alias quoque aliorum sententias de anno Romanæ originis examinat: ipse acquiescit in VII. O- lympiadis anno 1. 7 Tertio Romanorum rege.